

360 (CCCLXXXVIII)

1235 giugno 19, Sarzana (*in curia castri Sarzane*)

Guglielmo, vescovo di Luni, concede a Conciatore di Marola, Aidanto del fu Pellino e Accurso del fu Pietro, sindaci e procuratori del comune di Marola e di *Matrono* di edificare o ricostruire una chiesa dedicata a Dio, alla Vergine e a San Vito nel luogo detto *Marola de Predore*.

Copia di copia [C] CP cc. 322v.-323r., cc. CCCXIIIv.-CCCXVr. secondo la numerazione originale

Ed. *Codice Pelavicino. Edizione digitale*, a cura di E. Salvatori, E. Riccardini, L. Balletto, R. Rosselli del Turco, C. Alzetta, C. Di Pietro, C. Mannari, R. Masotti, A. Miaschi, 2014, n° 360

Edizione parziale in LUPO GENTILE 1912, n. 399, pp. 378-379.

Nel margine esterno, di mano moderna: *1235 Ecclesia Sancti Viti de Marola* con r corretto su precedente z

In Dei nomine, amen. Anno a nativitate Eius M^oCCXXXV, indictione VIII, die martis, XIII kalendas iulii, in curia castri Sarzane, coram Peregrino archipresbytero plebis de Soleria, Bonafesta quondam Pellini de Marola et Festa filio Detesalve, Fortino de Ponçanello et Folberto de eodem loco et pluribus aliis testibus ad hec rogatis. Ex huius publici instrumenti clareat lectione quod venerabilis Guilielmus, Dei gratia Lunensis episcopus, suo nomine et episcopatus, dedit licenciam et liberam potestatem inrevocabilem Contiatori de Marola et Aidanto quondam Pellini et Acurso quondam Petri, syndicis et procuratoribus communium et universitatum de Marola et de Matrono, consensu hominum dictorum locorum, sicut p<at>et per instrumentum publicum confectum manu Ione notarii, super rehedificatione et hedificatione ecclesie ad honorem ipsius domini episcopi et episcopatus et Sancti Viti de Marola de Predore, ut in loco dicto Marola de Predore faciant et hedificent ecclesiam ad honorem Dei et Virginis gloriose et Sancti Viti et specialiter domini episcopi et Ecclesie Lunensis ac omnium sanctorum. Qui locus iuris Lunensis Ecclesie existit, cum dictus locus sit de dyocesi et episcopatu suo, ita videlicet quod a nullo recipient dicta communia et universitates divina et ecclesiastica sacramenta nisi a domino Lunensi episcopo et nulli alii obedient prelato, nisi tantum dicto domino episcopo vel illi clerico cui commiserit, et nullum recipient vel eligent vel habebunt rectorem absque voluntate dicti domini episcopi et suorum successorum. Et sic idem dominus episcopus de predictis eosdem homines, pro dictis communibus et universitatibus recipientes, per pelles quas habebat super se investivit, recipiens dictam ecclesiam et ipsum populum sub sua et Lunensis Ecclesie protectione et cetera.

(S. T.) Ego Henricus de castro Sarzane, sacri palacii notarius, hanc cartam olim a || [c. 323r.] Bonencontro de Soleria notario abbreviatam sive rogatam, prout in eius sceda et in eius contractibus et imbrevisuris inveni, ita hic bona fide scripsi et autenticavi et in publicam formam redegi, auctoritate et decreto super hiis mihi prestita et concesso a domino Bonaiuncta de Podio de Luca, iudice in provincia Lunisiane pro venerabili patre domino Lunensi episcopo et Lucano communi, de qua auctoritate et decreto constat per instrumentum publicum factum manu Alcherii notarii de Luca.